



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLVIII. Ioannis Papae VIII. Ad Adelbertvm Marchionem. Ab excommunicatione eum absoluit, eiusque homines, si spatio quindecim dierum intra mensem Martium ecclesiae satisfecerint.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CCLVIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.
AD ADELBERTVM MARCHIONEM.

Ab excommunicatione eum absoluit, eiusque homines,
si spatio quindecim dierum intra mensem
Martium ecclesiæ satisfecerint.

Adelberto marchioni.

TE vero quia conuersum & fidelem circa sanctam Romanam ecclesiam & nos cognouimus, absque tenore ab omni excommunicatione absoluimus; hominibus tuis sub eo tenore sacram reddimus communionem, ut omnem emendationem, sicut promissum est, facere ad quindecim dies intra mensem Martium omnino accelerent. Quod si hoc facere neglexerint, omnes sub eadem excommunicatione permaneant, donec iterum de perpetratis malis plenam faciant satisfactionem. Data ut supra, indictione XIV.

EPISTOLA CCLIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

Monet ut perficiat quæ per legatos mandauit.

SVSCEPTIS literis gloriæ vestræ, quibus vos plena intentione monstratis ad limina apostolorum festine, imo potius præcipiti gressu & velle conuolare; quapropter attoniti, vel magis stupefacti miramur decentiam vestram terminos patrum transcendere, & lineam generis vestri superbo spiritu conculcare, & in deterius, non in melius prorsus conuenire. Et ecce dolenter cum Apostolo 2. Tim. 3. compellor dicere: *In nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, in quibus erunt homines semetipsos amantes, & quærentes quæ sua sunt, non quæ Iesu Christi.* Sed nos te, fili carissime, in viscere Christi plurimum diligentes, ad ea te pro-uocare gestimus, quæ animæ vestræ proficiant ad salutem. Legatos sane e latere nostro plene instructos direximus, quibus omnia ad purum credere non ambigatis in his, quæ verbo tenus, & scriptis capitulariter dedimus in mandatis.